

Forfatter: Ewald, Johannes

Titel: MELETEMATA QVÆDAM DE PRAVIS SCRIPTORIBUS (1765)

Citation: Ewald, Johannes: "MELETEMATA QVÆDAM DE PRAVIS SCRIPTORIBUS (1765)", i Ewald, Johannes: *Johannes Ewalds samlede skrifter*, Gyldendal, (1969), s. 89. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-ewald03val-shoot-workid61090/facsimile.pdf> (tilgået 26. april 2024)

Anvendt udgave: Johannes Ewalds samlede skrifter

MELETEMATA QVÆDAM DE
PRAVIS SCRIPTORIBUS

(1765)

IN istis, quæ nova nobis quovis hebdomade re-
5 ferunt, pagellis, nuper, neque ut verum fatear,
sine risu, legi, novo jamjam chartæ generi confi-
ciendo Germanos esse intentos: Scilicet, ne panni
quidem laceratæ satis Germaniæ auctoribus eo-
rum, ne dicam scribitiis, amplius sufficiunt: Plan-
10 tæ, nunc, arbusta, arbores, innumerabilia, immen-
surabilia, immo horribilia eruditionis monumenta
ære perenniora reddent sæculoque novissimo red-
dent intacta. Misso vero joco, ne huic per se satis
utili arti aliquid detrahere videar; tibi, Lector be-
15 nigne, ingenue fateor, me ingentem hanc, quæ
mundum inundat immo fere suffocat librorum
multitudinem, haud alias considerare, ac permag-
nam sentinam, in quàm argenteæ quædam quæ-
dam pretiosioris metalli monetæ, fato suo cecide-
20 runt. Aut sexcenties repetita sub novo vero titulo
luci edita, aut putida figmenta, aut aniles ineptias,
aut inanes logomachias, ne dicam crimina læsæ
& humanæ & divinæ majestatis, publice nunc fere
ubicumque vendunt bibliopolæ, & pro novis ven-
25 dunt, & pro bonis vendunt. Si in myriadibus libro-
rum quinquaginta, si quadraginta, si triginta, im-
mo si viginti & decem justi essent, cavendum foret
ne una cum malis hi perirent, sed nunc — at vero
aromatopolis consulamus, rogo illos addicere no-
30 lumus. Ignosce mihi, L. B., Hasce quærelas, utpote
justas. Tute evolve proximum quemcumque & si
paucos excepero, me verum dixisse invenies. Va-
rias, talium scribitorum, majoris lucis gratia,
ideas, in medium proferre mihi est in mente. Sim-
35 plex, aut ut Mæcenati cuidam aduletur, aut ut
offulam quandam obtineat, aut ut pro obtenta
gratias agat, aut aliis denique de causis, in Auto-
rum classem pervenire, sibi & utile putat & neces-

se. Neque mora. An simplex cerebro careat, hic nihil interest. Quid cerebrum ad Autorem? Anne eruditis immo anne cuiquam opus edendum placeat necne, quid hoc ad rem? Sibi tantum & Patrono suo scribit simplex. Sibi vero ipsi errata quælibet facile ignoscet, & Mæcenati sine dubio tempus ad legendum librum ejus vix sufficet. Aliquid tamen scribendum. Unde vero hoc? Hercule; Gratia istud probatum, Lexicon Universale, vel alia quælibet subsidia bene novit simplex. Inde ingentem aboletarum sententiarum farraginem compilat. De suis quicquam addere egregie cavet. Operi vel opusculo ita compilato, ante omnia studet titulum præfigere, cui pondus insit, id est, plane sesquipedalem. An vero id, quod in libro continetur, indicet titulus, necne, ad rem facere minime putat. Immo, ut lectori primo conspectu sanctum incutiat horrorem, pagellis, in quibus de barba Cæsaris agit, titulum de bombogranotympotarandinibus præfigere haud dubitabit. En simplicem autorem. Quid vero si simplici alienas plumas detraheremus? — Hem quam idearum colluviam, qualem judiciorum sentinam, quantum ratiociniorum Chaos.

Versifex, ne genuinorum Apollinis filiorum oblitus, videar, aut in lautiore paululum prandio, aut in quibusdam Imperialibus, vel minoris quoque pretii præmio, aut in paucorum applausu, rationem versuum pangendorum videt ita sufficientem, ut nihil magis. Tunc vero Versifex! — Sudat, alget, bibit, currit, fremit, immo insanit; quum vero diu eum ita parturire videris, prodibit nil nisi ridiculus mus. Rythmos quosdam videbis vel ita cothurnatos, ut sensum quemdam illis extorquere ad Herculeos labores pertineat, quum scilicet ipse Versifex eos nequaquam intelligat; vel quoque compactos ad tritum istud exemplar: Nuper quidam doctus cœpit scribere versus; vel denique ex ærariis poetæis compilatos. Ne, de ineptiis, de

adulatione, de spurcitiis, inutilia verba faciam. Ita Versifex. Quid vero si Versifices a Parnasso abigeremus, quot tunc restarent poëtae? Juvenecus (sit venia barbarae huic incogitati juvenis appellationi) cuncta quae in mentem veniunt luci mandare haud dubitat, quae sibi placent omnibus placere certo putans. Quid vero de naeniis Garruli, quid de sentina Sordidi amplius loquar. Cur diffamatoriarum, cur tumultuarias, cur denique blasphemarum mentionem faciam? Satis haec primo conspectu sese vituperant; tuaque, in istis patientia L. B. abuti nefas puto. Paucas tantummodo, cur tanta pravorum autorum existat multitudo, rationes in medium proferam prout potero brevissime; prolatas vero tuo ipsius iudicio relinquam. Palmam sine dubio in his obtinebit lucrum, quod ex pravis libris majus in bibliopolas redundat, quam ex bonis. Hoc vero rursus a pravo plurimorum lectorum gustu derivari, nemo, me iudice, est, qui non videat. Optimos quoque scriptores, si marsupio consulere vellent, publico gustui sese interdum oportuit accommodare. Id, quod videre est ex ipsis, quorum etiam cineres deosculamur, heroibus. Quid vero plebi scribere aliud est ac male scribere? Plebs scilicet serie propositis atque enodatis veritatibus raro delectata, ea tantum, quae risum excitare queunt, exoptat, legit, approbat. An vero haec interno quodam valore gaudeant necne parum interest, quum occulta cuncta plebis mentem excedant.

Ad secundam referimus Inventionem artis typographicæ.

Tertia in ordine merito venit ineptum plurimorum doctorum, de Philosophicis, Theologicis aliisque immo de ineptis contendendi studium. Qvis est, qui ignoret quot quantaque inutilia bibliothecarum pondera rixæ doctæ genuerint?

Ad quartam pertinet vanus iste honor, quem iuvenes plurimi immo seqvioris sexus homines

jamjam in autoris nomine ponunt. Illi nomen vix sibi inditum in doctis recensionibus jam legere cupiunt. Hæ mente, quam corpore fecundiores; partum interdum edunt novimestre quidem majorem, sed ita quoque deformem, ut sepulchro dignior sit, quam educatione.

Quinta, & ut reliquas minores præteream, ultima sine dubio est necessitas scribendi, minus idoneis interdum imposita. Hic habes, L. B. rationem, cur, ut alios taceam, ipse ego hodie tibi hisce pagellis, si legeris, forsitan molestus, sin vero minus saltem sim inutilis. Ita enim leges optimi pieque defuncti fundatoris Collegii nostri jubent, ut publice quilibet quotannis disserat. Optimam pii viri fuisse intentionem, nemo, me judice, crit, qui iverit inficias. Magnum sane Musarum alumnis, ex tali exercitio & quoad eloquentiam latinam & quoad artem demonstrandi evenit emolumentum. Cunctos vero dissertationi conscribendæ æque pares non esse ex meo videbis exemplo. Neque perdoctam neque ambiguam materiam enodare mecum fuit. Docti nihil profero. Citationes habeo plane nullas. Paucis: Dissero, non, ut sim Autor, sed ut disseram; tuaque solum fretus benevolentia, in gratiam opponentium luci mando Theses subsequentes

DE CREATIONE

1.) Dictum Gen. 1, 1. et Joh. 1, 3. minime ita verbaliter parallela dici possunt, ut Hebræum וַיְבְרָא eandem habeat significationem, ac Græcum ἐν ἀρχῇ. Alias, aut ad scholasticorum quorundam sententiam, qui mundi æternitatem possibilem, aut ad socinianorum somnium, qui Verbi substantialis æternitatem impossibilem statuunt, aliquid facere viderentur. Illud indicat ipsud rerum finitorum initium, quod a sana ratione concipi nequit æternum. Hoc vero tempus ante Creationem (conf. v. 3. seqv.) quod, quum ad res succes-

sivas nullam habuerit relationem, nihil fuit nisi ipsa aeternitas.

II.) Caelum, cujus mentio fit in versu primo historiae Creationis, sine dubio indicat universum mundorum a gyro nostro diversorum systema, neque, ut idem cum extenso isto, de quo v. 7 & 8, considerari potest. Mosis tantum fuit terrae nostrae, eorumque, quae ad eam pertinent, coelestium corporum historiam litteris dare. Qvod vero de reliquorum gyrorum creatione praemisit, ad sine dubio Polytheorum refutationem fecit. Aut enim primus isti versus est totius Creationis summarium contentum, aut non. Si summarium contentum, nonne initium istud historiae: Et terra erat vasta cet. materiae praexistentiam, immo nonne Mosis silentium aeternitatem quodammodo stabiliret. Si vero non, nonne foret repetitio, contradictionis speciem praeseferens, idem caelum & primo creationis initio, & tertio die creatum esse.

III.) Impossibile plane non est, si, id quod Mosis fuit consideramus, gyros hos a nostro diversos, ante hexaëmeron creatos fuisse, & per ככביר v. 16. planetas indicari.

IV.) Terra, de qua dicitur vers. 1. nihil est, nisi materia inhabilis postea in formam redacta, quae, quod ante hexaëmeron creata sit, fide dignum est, quum & Moses, de tempore Creationis ejus nihil indicet, & ad primum diem lucis creationem referat.

V.) Terra ista ante diluviana, sine dubio aquis superstructa, & ab hodierna, igne scilicet peritura, quoad indolem plane fuit diversa.

VI.) Creator in eligendo hexaëmero hominum conceptui sese accommodavit. Nam ut atomos, ita quoque id, quod in temporis atomo factum narratur, concipere nequimus. Irrito conatu Philo de Opificio mundi p. 3. huic Creationis tempori improprium sensum tribuere studet.

VII.) Quidam voluerunt primam istam lucem v. 3. varias ignis istius particulas fuisse, quae post-

ea conjunctæ solem constituerunt. Alii putarunt, ipsum solem fuisse, qui jam ante quartum diem, quo creatio ejus refertur, exstiterit. Rabbīnorum quidam docuerunt, fuisse præclarum divinæ præsentiae specimen, quod vulgo Schekinah appellant. Si vero, ut supra, supponimus, stellas fixas, jam ante hexaëmeron exstitisse, prima hæc lucis creatio in eo forsitan constitit, quod: Elementis in ordinem redactis, abactaque magna ista caligine v. 2. ex mistione fluidorum & solidorum sine dubio orta, stellæ fixæ in terra factæ sint conspicuæ. Terra vero & majore lumine, & calore, ad vegetabilia tertio die creata, conservanda, indigente, solem demum additum fuisse. Regeres: unde tunc nox, quum stellis simus circumfusi? Forsitan vero situm tunc terra habuit ab hodierno plane diversum & a reliquis corporibus remotiorem. Forsitan quarto demum die, stellæ huic, cui solis nomen damus propius admota, & tunc primum in regularem gyrum suum fuit circumacta. Forsitan quoque hæc: Fuit dies & fuit nox, primo, secundo & tertio die ab historiographo secundum captum hominum dicta sunt, quum tamen a quarto primum die tempora certa, dies & annos incepisse adfirmet. Sed problemata sunt.

VIII.) A silentio historiographi de Creatione ignis, forsitan ad derivationem omnis ignis, & culinaris, & elementaris, a sole posset concludi.

IX.) Ad Quæstionem de Anni tempore, quo Mundus creatus sit, recte ita cum P. Calmet (ad Genes. p. 20.): De hac quæstione dici potest, eam nunquam plene solvi posse & determinari, eamque contradictionem quodammodo involvere, quum impossibile sit, ver aut autumnum, simul in toto mundo, sex dierum spatio creato, viguisse. Quod ergo vel pro vere, vel pro autumnno dici potest, id ratione unius climatis nequit demonstrari, contrario, ratione alterius & huic oppositi non demonstrato.

KLAGE-SANGE OPFØRTE PAA
DET KONGELIGE UNIVERSITET
DA KONG FREDERIK DEN
FEMTE DEN 18^{DE} MARTII
5 1766 SKULDE FØRES
TIL SIT HVILESTED
(1766)

FOR PARENTATIONEN

Chorus.

Begr. 5, 16, 17.

10 **V**ORT Hoveds Crone er affalden; o vee! at vi
have saa syndet. Derfor ere vore Hierter be-
drøvede, og vores Øyne ere blevne mørke.

Aria.

15 Mistrøstighed, som ønsker at forhæles,
Gaaer skuulende igiennem Viisdoms Dør;
Tvivlraadig Taare standser — Sukket qvæles --
Selv Hiertet tør ey slaae saa stærkt som før,
Kys HErrrens Haand! — lad den Alviise raade! —
20 Men Hiertet brast og Taarestømme flød.
Forgiæves raaber Viisdom: Sorg med Maade!
Ach! Hiertet svarer: Frederik er Død.

Recitativ.

Den engang visse Død! — Hans Fryd! -- vor Chri-
25 stian!
Saa sukke den Viise, men han græd;
Jeg saae det vel — og Viisdom fældte Taarer! —
Hiin hærdet Philosoph, som Skiebnen ey kan bøye,
Opløftede sin Stemme som en Spæd! —
30 Men Dyden tørrer selv sit Øye —
Religionen sukker — Lægedømme saarer! —
Veltalenhed afbryder Ord og Røst,
Og den, som skulde trøste, søger Trøst.
Er store Fyrster da ey Dødelige? —
35 Har Nordens Konge tabt ved at ombytte Rige? —